



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

4. De Religionis cura Principis propria, ad Archiduces Austriae Græcij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

ROBERTI TURNERI  
CANONICI VVRATILAVIENSIS

Oratio IV. De Religionis cura, Principis propria. In aula Academia, ad Augustos Principes, Episcopos, Abbates, Præpositos, cæterumque Academicorum nobilissimum & amplissimum consessum, Græcij habita cum doctis. & Cl. V. D. Blasius Laubich Prutenus, Augustorum fratrum, Leopoldi & Caroli, Præceptor, à Cancellario Academiae Græcæsis amplissimo ad lauream Theologicam, quam scholæ vocant Licentiam, sisteretur, Anno 1599. 3. Idus Maias.

**D**icam hodiè (Augustissimi, Illustrissimi, Reuerendissimi, Doctissimi Auditores) tantum vnum, scilicet nullam curam tam propriam esse Principis, quam religionem, & hoc vnum vno pene verbo dicam. Quid miramini? narrationem simplicem? Theologus sum, non Orator: Nullum exordiumq; exordium fucus est & cincinnus: varitas verò, tanquam virgo concessui huic intelligo omnia, & pure vult se hodie sistere visendam sine fuce & cincinno. Sed vt rideatis, non miremini tantum, hoc quicquid excuso, exordiū est, quod post narrationem & ex narratione plenè exit: præter artem fortasse sed certè non contra artem. Nam Libanius, qui ætatem mentisque contentionem in artis diuitijs delicijsq; conquirendis fixit totam, orationis partibus partes ita infudit apteq; inseruit, vt Athenæ ipse quibus eloquætiæ non neruū tantum, sed etiam florem debemus, rectè iudicant, id in Libanij oratione fuisse artificiosus primum aut extremū, non quod schola præscripsit, sed quod ipso digito posuit aut iudicio disposuit. Quanquam quid requiritis à me artem, palatino potius quam Academico? fuit ætas, quondam illa Duaci, Parisijs, Ingolstadtij  
floreus,

*Extenuatio.*

florens, cum & placeret oratio; vel lita lumine, vel opacata umbra, vel interstincta colore, &, ex hac luminis, umbræ, coloris varietate, concionis ocellum, furrifum, susurrum ambitiose fortè aucuparer. Verum hac ætate præcipitatâ, & penè extremâ, cum cadat vox, fluat memoria, caligent oculi, torpeant manus, reliquæ membra, quibus actio orationis animula continetur, languescant omnia; rideo certè rideo ipse me, non sponte, sed blanduli verbi, tanquam pharmaci Cyrcæi, propinatu, à palatio ad Academiam, id est, à quiete Musæi ad Cathedræ iactationem punctulo translatum. At ne quis me possit iustè, vt Seneca Furium, reprehendere, quasi nunquam magis aut palatinum quam in Academia, aut Academicum quam in palatio, sic moderabor orationi meæ, & possim videri & palatinis quod de Principe dico, serio palatinus, & Academicis, quod de Principe Christiano, non ineptè Academicus. Res ipsa, & clementia Augustæ genti insita, facient, vt Augusti Principes, Maximus AEmilianus, Leopoldus, Carolus, faciles & libentes audiant. A reliquis auditoribus palatinus in Academia, narratio ante exordium, ars præter artem, & vna res; illa sanè maxima, vno verbo perstricta, facile impetrabunt; vt si nolint attendere, abeant mox hinc Athenas, non ad Libanios, sed ad putidulos illos Rhetores audiendos, qui nihil grauius contra artem peccant, quam quod omnia ad artem dicunt.

Quæ nos ætas dii deæque! quæ nos ætas habet? Non satis illi ad labem, æternamque maculam collegisse, distincteque numerasse Lutheranae factionis quadraginta, Calvinianæ triginta, tres, diuersas aduersasque sententias, & aliam infinitam scelerum errorumque segetem ad inferni messem protulisse; nisi apertè eat in secessionem à cælo & Deo ipso. Nam inuenit illa iam primum, omnibus omnem religionem ad salutem esse obuiam, nec hanc curam pertinere vlla  
parte

ORAT. IV. DE PRIN. RELIG. CVR. 33

parte ad principem. Triumphat inferne, id triumphat.  
 nam hæc factio, heri ex Luthero, tanquam musca ex  
 fimo nata, dum religionem à folio, tanquam animam  
 à corpore segregat, facitque folium sine religione,  
 tanquam corpus sine anima penitus truncum: tui cer-  
 tè imperij pomœria, longè, latè, summa facilitate,  
 profert. Christus aliter. Nam cum satis intelligeret  
 frustra se pœnis suis primam noxam piasse, nisi ad  
 consequentis vitæ noxas vel eluendas, si concipian-  
 tur, vel cauendas, ne concipiantur, folio religionem  
 quasi animam vinciret, quasi magistratam præficeret:  
 pro æternâ sua sapientia illam mox iubebat, scribe-  
 batque omnibus legem; primum quærite regnum notum  
 mundi sed Dei. Reliqua, mundus, solium, maiestas, pa-  
 latia, diuitiæ appendices erunt, aut (Vt sacro vtar ver-  
 bo) adijcientur vobis. Si regno Dei, id est, Ecclesiæ  
 maiestas regni terreni debeat mandatu Christi, vel in-  
 niti tanquam fundamento appendix, vel illigari  
 tanquam corpori anima, vel subseruire tanquam pe-  
 disse qua dominæ: illos, qui toti sunt in eo vt hæc  
 compago soluatur, merito quis dixerit docere sum-  
 mam paganitatis, sed stultæ paganitatis. Nam Pagan-  
 itas prudens siue Romana illa siue Græca quæ ratio-  
 nem tanquam scintillam ex medio cinere obscure ante  
 Christum, pellucens secuta est, nihil vnquam  
 iussit solennius, nihil seruauit sanctius, quam ne  
 peregrini dii, peregrini ritus irrepant, veterisque  
 reip. vel faciem deforment, vel disciplinam euer-  
 tant. Etsi vsu nondum compererant illi satis, vi ta-  
 men naturæ tanquam filo, ducebantur eo vt statue-  
 rent nouam religionem inferre in rempub. nouam  
 disciplinam, nouam vitam, nouam legem, noua om-  
 nia. Paulus clarè dicit & sine circuitione, translato sa-  
 cerdotio, fore translationem legis, atque quod dicit  
 Paulus, id & memoria præterita, & ætas semper con-  
 sequens comprobauit Iobus, Aaron, Melchisedech,

*Veram  
religio-  
nem in-  
primis  
esse neces-  
sariam.*

*Transla-  
tio Sacer-  
dotij  
transla-  
tionē in-  
fert legis.*

Chri-

Christus, etsi, æternæ prouidentia præscripto, in  
 subirent alter alterius in locum, vt priorem posterior  
 non euerteret, sed prior posteriorem innueret, essent  
 que perpulchra ordinis descriptione, & præcedente  
 Christo via, & Christus finis formaque præcedenti-  
 bus: tamen quoties mutata est forma sacerdotij, to-  
 ties mutabantur modus vitæ, legum ratio, alia per-  
 reip. omnia. Visne clariùs? Tanta vis sacerdotio tan-  
 quam diuinitatis expressioni indita est è cælo, vt bo-  
 num bonam, & malum hypocriseosque falso color  
 illitum repub. faciat malam, omnisque probri ple-  
 nam. De Anglia, quamdiu illa perstitit in vestigio  
 prisca formæ, scribitur, & ab ijs, qui eam intimè no-  
 rant, nihil orbem habuisse aut clero vinctius, aut Aca-  
 demia doctius, aut foemina castius, aut viro sincerius,  
 aut repub. ipsa pulchrius. At postquam Calvinum au-  
 dicit noui mysterij mysten, exijt cleri ordo in sycop-  
 hantiam, Academia doctrinæ in linguam, & factæ  
 sunt foeminae tam viliter propudia, vt emant iam non  
 vendant noctes, & viri tam impudenter latrones, vt  
 rapiam ducant quæstui, cædem gloriæ. Quæ forma  
 reipub: non ratio, abijt: non lex cessit: non religio, exu-  
 lauit. Quæ tandem forma reipub? Vna foemina di-  
 cam an furia, cui illa trita vox, misce Galliam, turba  
 Flandriam, perde Scotiam, vt Anglia sola stet, & mihi  
 quieta stet, si tamen diu possit illa stare sic sola, aut  
 tibi stare sic tyrannæ, aut quieta stare, sic turbatrix, sic  
 turbata Gallia perdidisti antiquam tuam faciem, pe-  
 nè dixeram virtutem & ex Caluino est, cur perdi-  
 disti. Nam postquam tua venæ nouo huius presby-  
 terio (sic hæresis vult dici) tanquam veneno plena  
 erant, ita tabuisti tota, vt nec tueretur sanguis Mar-  
 tyrum tuam religionem, ne pallidula: nec Acade-  
 miarum splendor doctrinam, ne flaccida: nec victo-  
 riarum palmæ gloriam, ne vanida: nec discriptio  
 legum repub, ne occidua videretur & penè mortua.

*Anglie  
 mira me-  
 tamorph.*

*Item  
 Gallia.*

Ger.

ORAT. IV. DE RELIG. CVRA. 34

Germania nostra, non aliam forsā repub. sol vidit maiorem aut meliorem. Tot Principes, quasi Reges, tot ciuitates quasi Principes, facile est, vt defluant in factiones, irritati alter alterius offensione aut æmulatione: eos tamen vinxit religio prisca, & Spira religionis neruo sub Cæsare freta, omnes fecit ita vnum, vt nunquam legeretur aut corpus ex multis tam liberè vnum, quam Germania, aut caput in corpore sic vno tam solide monarchicum, quam Cæsar. Hæc tamen imperij siue maiestas, siue firmitas, dum abiit post Lutherum, abiit (lachrymæ, lachrimæ?) abiit penè in fauillam. Quare, cum non Paulus solus, sed certissima exempla in auribus, oculisque nostris defigant, ex labe fidei labem semper exire reipub. plumbeus sit ille, non in Euangelio tantum, sed etiam in natura, qui neget vllam curam tam propriam Principis, quam ipsam religionem. Memini me vi. *Comparatio.* disse Romæ, & Florentiæ statuas, specie hominis benè magni, longas, latas, omni opere & numero ita elegantes, vt in viua corporeatura nec venulæ turgeant liuidius, nec oculi molliùs moeant, nec color nunc lacteus, nunc rubicundulus aptius fluat. Denique omnia sunt viuæ, nisi quod non habeant vitam, sed cieantur, si cieantur, motu non suo sed alieno. Tange inclinant; impelle, cadunt; lacera, sordent luto intus farta & stramine. Principes Christiani, qui in Christi causa frigent, mihi semper visi sunt habere instar harum statuarum. Tincti sunt aqua Christi, consecrati nomine Christi, inclusi in Ecclesiam Christi: quid præterea? omnia dicuntur Christi, iurares certè vt Romanas illas aut Florentinas statuas viuos homines, nisi tangeres, sic istos Principes, veros Christianos nisi probares. Perit Turca? timent. Vitium inualuit? rident. Hæresis dominatur in templis, torpent? Christi honori aut causæ perit hilum? Hilum dicunt esse, de quo Principem, non æquum

*Sancto-  
rum ima-  
gines si  
animatae  
ab hereti-  
cis vltio  
nem su-  
merent.*

æquum est, mouere digitum: hilum, inquit, Christi quicquid est, præ eo Papæ, Cæsares, Reges, principes, nihil estis. Non æquum, pro hilo Christi, mouere digitum? statuas puta Christianorum, sine vita, sine motu cælesti, mundo vitioque, tanquam luto & stramine, tantum infarctas. Nam si eos amauisset Christus, pro hilo Christi, si quid tamen Christi debeat censei hilum maria, terram cælum miscerent, malletque tenuicula re Christi vindicata, mori; quam, læsa violataque viuere. Constantini, Theodosij, Iouiniani, Martiani fuistis, ô nomina, ô numina, fuistis. Incalui, incalui (Auditores) à nominibus horum Cæsarium qui à mea parte sunt omnes, adduntque orationi meæ momentum, non tam quòd magni, quam quòd pij; quanquam non alia magis re erant magni, quam quòd pij. Quippe Constantinus, lustratus iam cælo, nihil habuit prius quam neruos Paganitatis elidere, Christianitatis firmare, solideque constitueret. Theodosij nescio religio solio, an solium, religioni debebat magis: id verò scio simul & eum immissum in solium, & è Constantinopoli eiectum Arrium, qui populo Catholico templa & templorum vsùm quadraginta plus minus annos sacrilegè interceptit. Iouinianus dictus Imperator diem mox dixit idolis, & que fixerat Iulianus Apostata, euertit vniuersa, Catholicos reuocauit, Ecclesias asseruit. Martianus collocatus in solio non prius conquieuit, quam Apollinarem & Eutichen eradicatorat, interpretatusque est, per reliquam vitam, imperium, fortunæ donum; hæreticos eradicatorat, gratiæ meritum, & ex pia voce adeptus est Pij cognomen. Nihil nè hic inspergo ex sacro fonte ad fundo non inspergo tantum. Edixit Israeli Deus, ne habeat non dico communionem, sed pacem vnquam cum Amalecho. Triumphati Aegyptij à Mose, Acham à Iosua, Goliath à Dauide, alij ab Asa; triumphati, & à stirpe euulsi omnes ob vnam Dei iniuriam, quòd aut cole-

*Amplif.  
ab exem-  
plis sa-  
cris.*

colerent idola, aut aliam errorum segetem fererent. Quid dubitas de euellendis Hæreticis? Amalechus, Aegyptij, Acham, Goliath erant singuli imagines vi- uæque expressiones hæreticorum, qui hodie induti nomen Christi, veram Christi religionem falsis cri- minibus obterunt. At fert nostra ætas Iudæos. Hactenus si Christum non polluant ore sacrilego, & Chri- stianam rem vitij & conuitij sui immunem præstent, Si contra hanc legem veniant, vide eos in Hispania, Lusitania, Gallia, Anglia eradicatos, non punitos tantum. Atq; cum vis cœlestis, quæ Iudæorum quon- dam & factum zeli, & verbum impleuit energiæ, ita perierit iam tota, vt nulli hactenus Catholicæ com- munionis Catholico audiantur aut legantur suæ su- perstitionis scabiem adfricuisse: debent illi, in nullo contagionis periculo, non solum ferri, sed, si defluant ad alias partes, in communionem adscisci, vindices & rigidè custodes earum prophetiarum, quibus pugna- mus & expugnamus, Christum esse Messiam, esse Deum, esse nostrum. Hæretici æquè, inquis, ferendi. Cui rei? lepra sunt, inficiunt; pestis sunt, conficiunt. Sacras fortè litteras seruant integras à labe. Seruantq; demunt, addunt, aut aliam semper lituram de suo in- spargunt. Neque est cur quisquam defendat, eos viue- re Christum: viuunt Bacchum, Venerem, & quicquid sensus iubet, docentque quæ Stoa potius dicit quàm probat, fatum, voluntatis in ynam partem necessa- riam vim, Deum authorem peccati, dicti, facti nul- lam mercedem, nullam pœnam, & sexcenta huius ge- neris, quæ disciplinæ religionis, virtutis, rei publicæ incidunt singula neruos. Qui sic docent, viuunt illi Christum? viuunt illi Christum, quibus disciplina est stultitia, religio superstitio, virtus somnium, resp. no- men? Christiani tamen dici volunt, non certè vt huius nominis vi sint ipsi meliores, sed vt nominis liquore tanquam melle conditores facilius in mentes rudio- rum

*Hæreti-  
ci quod  
sentiunt  
docent.*

*Tyrann.  
contem-  
nendi, &  
falsi pro-  
phetæ ca-  
uendi.*

*Gradatio.*

rum influant. At certè quo se dicunt Philosophia Christianæ tenaciores, eo illi paginâ magis quam Philosophiâ vitâ Christianitatis fundamenta alius conuellant. Id Christus innuit. Nam cum sciret tyrannos & falsos Prophetas miseris maximè exemplis vexaturos Ecclesiam, suis hos sic cauit, illos sic contempsit vt facile videas tyrannos præ falsis Prophetis in Ecclesiæ vlcere esse oleum, aut si quid oleo lenius. Si tyranni incurserent, quid cauet? contemnit eos, tanquam floccum, aut rem indignam sua cura. Nolite, inquit, timere, occidunt corpora, At à falsis prophetis iubet, vt caueas. Cur tandem? potestatem habent occidendi animas. De grandi periculo grandis cura: cauere, inquit, à falsis Prophetis, qui non corpus, labem terræ sed animam opus Dei, curam cæli perdunt, & æternum perdunt. Vnde ascensus in cælum, dum prouidet pius pater omnia omnibus, non centuriavit milites, qui à gladijs, telis, reliqua tyrannide corpora vindicarent: sed ne mentes vt corporum diuisione multæ, sic charitatis communionem vnâ, abirent in partes, opinionumque ventis, quos priuati cerebri superbia efflauit, agerentur, cauit omni cura, & ad hanc curam exprimendam, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores, quasi in perpetua vigilia collocauit. Quid? vni turmæ tot centurias, opponendas? non quasi aut Doctores, aut Pastores, aut Euangelistæ aut Apostoli non satis sint separatim vilitati hæreticæ premendæ, sed vt intelligatur ex apparatu belli cura Dei, ex cura Dei insidiæ hostis, ex insidijs hostis periculum summum. Quare cum ex hæreticis plurima ad remp. permânet pestis, commoditas nulla, premendæque hæreseos exquisitissimam diligentiam Deus ostenderit sibi curam esse: princeps certè, qui hanc curam Dei sedulo curat, non potest non esse plenus, vt zeli, sic laudis & gloriæ: quid laudem & gloriam inculco? Principes, si Dei hanc

hanc curam magnam deserant, nulla alia laude consequentur, vt eos non censeat & terra ignauos, & cœlum in Deum impiè ingratos. Princeps, quicquid est, Dei est, expressio Dei, vicarius Dei, vindex Dei; & à Deo habet, vt sit melior expressio, prudentiam; vt verior vicarius, solium; vt fortior vindex, gladios, prouincias, subditos. Pro tot beneficijs quid exigit à Principe Deus? vt sinat animas, sui sanguinis pretium, suæ prouidentia curam, sibi curæ esse: vt Apostolis spiritum, Euangelistis calamum, pastoribus laborem, doctoribus sinat vocem liberè ad salutem animarum fluere. Tantis beneficijs tantulum non reponet? Expressio Dei in re Dei erit obscura? negligentia. Vicarius Dei in cura Dei erit incurius? torpor. Iudex Dei in causa Dei erit taciturnus? perfidia. Vindex Dei in fide Dei erit languidus? impietas. Accusabunt certè Principem, quicumque ille est, in extremo illo & horribilo die prudentia, solium, authoritas, gladij, subditi, si hæc instrumenta à Deo sibi data ad iustitiam, in fide, id est, cura Dei sinat esse otiosa, Non desunt tamen, qui in Principibus desiderant aliquid nescio quid, quasi dum Hæreticos turbant, ipsi se cum hæreticis etiam turbent, & periculum adeant non necessarium. Isti dupliciter, Auditores, peccant, & quod putant memorabile facinus posse sine periculo fieri, & quòd periculum, in hæreticis, tanquam quisquilijs eradicandis, statuunt non necessarium. Pulchrè Alcibiades, Principem præferre speciem hortulani: at hortulanus, vt bonus sit, officijque sui numerum perfectè impleat, non solum plantare, seminare, sed quisquilias etiam succrescentes euellere debet. Adde, Principem bonum etiam pastorem esse, id quod non solum Homerus, qui cœcus plus in arte & natura vidit, quàm Poëtarum & Philosophorum oculi omnes, in suo Agamemnone notauit, sed sacra etiam pagina in Dauide desertè loquitur: Posuit Deus pascere Iacob seruum suum, &

*Dictum  
Alcibiadis de  
Principibus.*

Israel hæreditatem suam. Si non satis forsan intelligitis, explico. Effigies est Iacob, serui, qui coactus Israel, filij & hæredis, qui libens pastoris nutum sequitur & imperium, Dauid ergo, & princeps, & forma posteritati Principis, nisi Israel filium spontè amoris inclinantem teneat, ac Iacob seruum proteruè declinantem cogat intra officij lineam, nã ille prodiiti officij & hæreditatis cœlestis dissipatæ poenas Deo persoluet, perenni, vel viuus lachrymâ, vel mortuus flammâ. Quare Dauid verus vt ostenderet Principibus, qui erant, qui erunt, hæreditatem Dei contra hostes Dei, si ingruant, quouis periculo redimendam, contempsit Goliath. Contempsit tantum? contempsit & strauit. Constantinus, Theodosius, Quadus, & reliqui suæ quisque ætatis Dauides: si post pericula habuissent Ecclesiam & Deum: habuissent certè illæ ætates Arrium, Eutychen, Manichæum, alios Ecclesiæ non perturbatores solos, sed etiam euersores. Pericula parua paruos & minuti animi viros, tanquam larvæ pueros, terrent ponuntque extra se: at illi, quibus altitudo mentis è cœlo est, pericula grandia (ausim sic dicere) terrent potius, quam timent, gaudentque Dauides Goliathum, Phylisteorum Samsones, Machabæi Hiericheorum, Iuditæ Holofernorum, magni magnorum aggressu & obtritu, id est, ex periculis potius sumunt, quam dimittunt animos. Hæc contra Catholicos, qui in causa Dei cum deberent esse leones, videntur lepores, impieque volunt Catholicos Principes zelo præuorti ab ijs, qui student artibus. Hæretici vero, si qui inculcant Catholicorum Principum pericula, ridendi potius sunt, quàm refutandi. Nam rudiorum hanc Lutheri, aut Caluini illam paulò dulciorem fistulam qui libentes audiunt, hi sanè in viculis & pagis, quos Principum Catholicorum liberalitate habent vniuersos, ne vnum quidem vni Catholico angulum liberum & immunem sinunt,

*Catholici  
in causa  
Dei Leo-  
nes non  
lepores  
videri  
debent.*

finunt. Qui sic agunt pro suo Luthero, exigent illi à Principe Catholico, vt tepidius agat pro suo Christo? frons non solum perfrieta es his, sed abiisti tota. Qui ne rusticum quidem Catholicum in suæ terræ vestigio ferunt, aut si ferant, vexant, multant, aliis exemplis misere atterunt, inique, non stulte tantum requirunt à Catholicis Principibus, vt minus adferant animorum ad Ecclesiæ pomœria proferenda, quam ad propagandam sectam illi: qui illi? factio Lutheri factio, contra Ecclesiam factio, factio factionum post Christum natum stultissima, iniquissima, ac sane à ratione & verbo (quod ostentant) desertissima.

*Hereticæ  
ne rusticæ  
Cathol.  
ferunt.*

Quod de Principe hætenus (Auditores) dixi, aut verbulo potius, tanquam obscure colore inumbraui, id magis intelligi vellem de Sacerdote. Nam vt veteribus, quos Moyses adstrinxit lege, regnum dicebatur sacerdotale, quasi sacerdotium tunc sequeretur regnum & sanguinem; sic nobis qui Christi viam vitamq; liberi insistimus, sacerdotium dicitur regale, quasi sanguis & regnum iam essent tota in nutu sacerdotij. Si zelus contra hæresim, zelus pro domo Dei, in Principe, hoc tempore, debeat nitere: in Sacerdote certè debet ille splendere, & ita splendere, vt Sacerdotem reliquis virtutibus insignem, & zeli expertem, putem vimbram: zelo incensum & aliarum virtutum notas obscure præferentem censeam tamen candelam in Ecclesia, aut potius solem. Quare admodum Reuerende & Doctissime Cancellarie cum partium mearum sit, hodie Blasium Laubichium sistere tibi probatum, satis ego tibi, æquissimo sane iudici, videar probasse hominem, si illam de eo communem omnium vocem subiecero: Quicquid est, zelus est. Aliud vide, aliud longe maximum. Si Plato, ille qui omnem humanæ sapientiæ numerum impleuit, recte dixerit, suum cuique opus diligere, domum architecto, quod ipse fabricatus est; pecuniam auaro, quod ipse in arcam condiderit; alij aliud, quod ipse fecerit;

*Inuersio.*

*Platonis  
dictum.*

cerit: non potes non amare & ornare Blasium, tuæ Societatis opus. Nam Patres tui Braunsbergæ in Brusia primam eius ætatem, tanquam semen, in Academia sup hortum inferuerunt, in situm poëseos dulci rore insperferunt, Olomutijq; postea in Moravia Rhetorices & Philosophiæ fontibus irrigatum viderunt huius ordinis primum germen. Hunc tuo, doctissime Kleini, tuorumq; collegarum rigatu, runcatu, fortu factum ex Olomucensi germine florem Græcensem (si velis iuste cum Platone & ad præscriptum naturæ) debes in Licentiæ cathedra, tanquam monte, ad spectaculum collocare, opus non societatis tantum tuæ, sed etiam tuum. At quantum opus? quod Augusta Maria gemma Germaniæ, Austriæ & Bauariæ, duarum sanctissimarum & foelicissimarum gentium miscella & quidam quasi cinnus, amor Poloniæ, Italiæ stupor, orbis propter tantam & foelicem prolem foelicitas, tanquam Phidie signum semel & inspexit & probavit: atque ita probavit, vt in eius fide probitateq; Augustum Leopoldum, spem vrbis, vellet latere, & quasi per oportuna statione confidere. Quemadmodum nulli placere, est stoliditas, omnibus, peccatum: sic Principibus placere viris, maxima laus est, & prudentiæ laus est. Te, doctissime Blasii, meum etiam hodie factum amore, qui non satis possum laudare, monebo tamen, memineris quod quemadmodum nihil erat fuisse semen, nisi exires germen, nec germen, nisi flos vireres: sic ridiculum erit, te fuisse florem, nisi ad coeli messem flauescas. Eccum, Magnifice Cancellarie, supra alias virtutes, modestum tuum Blasium; firmiori enim fronte fert se moneri, quam laudari. Vin' pluro? possum in hoc genere infinita: sed probatus iam ille tibi non solum scholæ tuæ semen, germen, flos, opus, sed etiam (vt vtar Theologus theologa voce) zelotes, prudens, modestus, cum de se non velit plura dici: tu etiam pro tua æquitate facile feres, vt illud Rhetorum vsurpem, *Dixi.*

ROBER